



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Casimirus Cond. 4. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

quid? quòd nec ipsa gleba, sub quâ virgo cubat, infæcunda fuit, sæpe in thus & far conversa, persuasura mortalibus, nec fragrantiorum esse castimoniâ virtutem, neque felicius ullum germen. *Ex vitâ apud Gretserum.*

*Si aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo famam nostram decolorare conantur, adsit conscientia solatium, quòd merces nostra magna est in calis, etiam cum dicunt homines multa mala de nobis piè tamen justèque viventibus. Aug. de bon. Viduit.*

S. CASIMIRUS CONF. 4. Martii.

**C**ASIMIRVS Casimiri Regis Poloniae F. necdum ephebis egressus in ipsa jam adyta sanctitatis est ingressus. Coronam Ungariae quanto alii studio vel ambire vel rapere solent, tanto ille repellere à capite suo adlaboravit. Summâ hyeme nudis pedibus noctu templa obibat; purpurâ non corpus, sed cilicium tegebat: somnum humi capiebat, gnarus nusquam alibi tam securos castitatem somnos dormire. His studiis occupatum morbus invadit. Lamentantur parentes; illacrimatur aula, adgemiscunt regna. Circumstant intereâ lectulum medicorum turbae, medicinam facilè nuptias suadent, concessam agro voluptatem. Sed noluit ille vivere, nobilissimâ animæ parte virginitate emortuâ. Itaque ne non virgo moreretur, juvenis moritur, dignus qui in omnium ore ac calamis vivat. Et verò vivere etiam post mortem Polonia compererunt, cum candidissimo equo investus contra Moschos moventibus Dux adfuit, & ductis per aquas compendium ad nobilissimam victoriam monstravit. Quin cum anno obiisset à pariente VIRGINE M.CCCC.LXXIII. anno deinde



de M. DC. IV. corpusculum virgineum unà cum versibus, quos in laudem VIRGINIS panxerat, secumque tumulo inferri mandaverat, integerrimum est repertum. Legant hoc ii, qui insuper habent maectare quotidie castitatem; cui tamen mors ipsa non nisi volenti vim facit, quin mortuæ etiam timet manus inferre. *Ex vitâ.*

*Quousque caro misera, insipiens, caca, demens, ac prorsus insana transitorias & caducas quærit consolationes, imo desolationes; si fortè contingat repelli & indignum judicari celesti gloriâ, & aternâ cruciari pœnâ? S. Bern. serm. 6. de Adv.*

S. C O N O N M 5. Martii.

**I**Nter primos Ecclesiæ flosculos CONONEM etiam numerabis, ut quem ætate Apostolorum floruisse scribunt. Huic etiam nepotum magis, quàm virtutis cupidi parentes uxorem obtruserunt. Sed CONON è sponso Paranympus factus virgini auctor fuit, in Christum potius amores suos transferret. Ita virgo uterque conjux vixit. Ut tamen non steriles fuisse autumes, Christo parentes suos genuit CONON, magnamque aliam, & nunquam morituram posteritatem miracula post se reliquit. Ipse Angelorum primipilus Michaël visus edocuit CONONEM, qui ritè sacris undis tingendum se præberet, epuloque sacro scitè hospes accumberet. Dolebis credo, qui hæc legis, juvenuti similem magistrum deesse. At cælum id ingemiscit potius, magistro huic similes hodie discipulos, Conones deesse. Sed quid discipulum voco, qui doctor sanioris doctrinæ parētibus, quemadmodum diximus extitit, eosque non nasci modo Christo, sed mori pro Christo docuit; ipse